

ad ætatem quidem, sic pueri magis, quàm juvenes; hi minùs quàm consistentes; hi plus quàm senes, propter caloris & materiæ diversitatem. Quoad sexum, sic mulieres magis quàm viri. Quoad regionem, septentrionales magis quàm australes. Quoad tempus anni, hyeme magis quàm æstate. Secundum partes autem, sic aliis multa, aliis pauca, aliis nulla pingvedo data naturæ providentiâ ad certum usum, hæcenus *Zwingerus*. Nobis non licet prolixius in ætiologiam dictorum inquirere, veluti horum ratio varia reddi posset, nisi limites dissertationis prolixitate majori transcendere vellemus. Interim cui plura arrident de his, cur mulieres magis obesitatem contrahant quàm viri, ventilat quæstionem, & præter *Galenî* sententiam, suam addit *Mercurialis* l. c. 26. Ibi insimul autor rationem reddit, cur pueri pingviores viris soleant existere. Probat itidem *Jul. Cesar Baricellus* in *hort. geniali* p. 214. quòd mulieres communiter viris pingviores sint. In cutis densitatem causam illam conjicit *Petr. à Castro* in *Chiliad. Aphor. post. cent: 10. p. 292. §. 163. & 164.* Addatur etiam *ibidem* ex *cent: 5. §. 5. p. 72.* Ventilat etiam quæstionem sequentem *Piclorius* *cent. 1. quæstion: Physic: 36.* Cur mulieres infernâ ex parte crassiores, & in viris superna sit crassior. Si quid demum in compendiò de hæcenus adductis dicendum est, omnia illa adminicula obesitatis in eo consistunt, ut ros uterque nutritius, scilicet purpureus & albicans in blandâ & temperatâ nec nimis crassâ vel acri, tenui aut fluxili materiâ consistat; cui negotio etiam inservit hæreditaria & naturalis dispositio, quies, otium, abstinentia à venere, curis & studiis, item tranquillitas animi, frigidior tempestas & locus, uti & excretionum interstitium. Atque hæc media in alia atque alia ætate, sexu & loco citius concurrunt & obesitatem procurant.

Veluti ante indicavimus habitum nostrum corporis auctum constituunt muscoli, & pingvedo in primis iis incumbens & interjecta; quandoque etiam aliorum viscerum pingvedo aut adeps itidem aucta accumulatur dictum nostrum habitum. Proximam verò causam efficientem obesitatis constituit facultas illa vel digestio specifica pingvedini vel adipi cujusque loci

corpo-